

vere. De usu etiam eorum sollicitus fuisti, & ita simul evitaſti, quod merito inter nævos multorum ponendum eſſe exiſtimo, qui in iis, quæ parvum aut nullum uſum habent, multum deſudant, ea vero quæ potiffimum uſu ſuo ſe commendant, & præ aliis indaganda, ſicco pede tranſeunt, aut parum curant. Plura quidem Tibi ſuppettebant argumenta, quibus uſum hunc Te obſervaffe mihi probaſti. Præiens vero quod produciſ Thema Tibi mihiſque præ aliis elaboratione dignum videbatur. Oſtendis in hoc S. Codicem librum eſſe, qui omni quidem Chriſtiano, inprimis vero Theologiæ Studioſo omnium debeat eſſe commendatiſſimus; doces inſuper quantum calcar eſſe poſſint Tibi aliisſque Exempla Veterum, ut cum ipsis nihil carius nihil prius ſit nobis ſacra hac Norma. Laudas quidem idque recte hac in re Veterum mores, quod tamen non ita intelligi cupis, ac ſi nihil culpæ in Veteribus invenias. Multos eorum in lectione & meditatione verbi divini ſatis deſides fuiſſe aſſatim patet, ſi perpendatur, quorſum Veterum adhortationes & increpationes à Te paſſim adductæ tendant. Cæterum eſt fane, cur Eccleſiæ & Bonis Literis fauſta quævis de Te porro pollicear, qui tam bene egregios ſtudiorum profectus, moresſque Chriſtiano Homine & Studioſo Theologiæ dignos, quos Tecum ad nos attuliſti, indefeſſa opera, in noſtra Academia continuare, & magis magiſque perpolire elaboraſti. Eſt etiam, cur familiam SALTZMANNIANAM apud Argentoratenses ſatis celebratam, cujus nobilis furculus es, licet in extero ſolo prognatus, nova acceſſione in te felicem prædicem, qui de